

conci'io & composita duorum Cæsarum controuersia, decretóque no  
uarum copiarum supplemento ad instaurandum in Asia bellum, Gre  
gorius in Italiam est reuersus, comitante Othonem qui spei optimæ ple  
nus ex præclara eius pollicitatione, diu exoptatum æquissimis postu  
latis suis exitum expectabat. Sed pontifex iam planè Turrianæ factio  
nis effectus, Othonem occulte oderat tanquam creditorem, & æqua  
poscentem, palam tamen multo cum verborum honore veluti genti  
lem beniuolümque suum, vti bene speraret hortabatur. Adcurrerant  
ad Othonem viri Patritii, amicorūmque & affinium clientūmque nu  
merus in dies apud eum augebatur. Quo illustri comitatu pontificis  
aula frequentior atque ornatiōr reddebat, nemōque iam exulum  
erat, qui non plane speraret propensione studiōque pontificis Turria  
nos archiepiscopum esse recepturos. Iam enim Franciscus Septarien  
sis quem populus delegerat, vt Turrianorum potentiam authorita  
tēmque minueret, tedio turbulentæ contentionis, sponte se abdicans  
ad religiosi ocii quietem se contulerat. Cæterum Gregorius ab alpi  
bus descendens, Othoni nihil tale expectanti præcepit, vt Bugellæ Ver  
cellensis agri oppido subsisteret, ne eius aduentu ad urbem Mediola  
num ea omnia, quæ de compositione pacéque exulum prolixe tracta  
ta fuerant, noua Turrianorum suspicione aut iracundia turbarentur.  
Paruit Otho extrema compulsus necessitate, in occulto gemens &  
sæpe suspirans, nec tamen animum despondens. Paucis inde diebus  
pontifex ipso patriarcha Raimundo ornatisimè lautissimeque exci  
piente Mediolanum ingreditur, festa fronde atque auleis conuestitæ  
erant regiones. Napus & Franciscus qui honoris causa ab equis desi  
lierant, astantes freno pontificis equum deducebant, Vimbella serica  
denis hastis à Turriana iuuentute præferebatur. Quibus obsequiis  
aliisq. muneribus pontifex haud dubie traductus in partes, & ab Otho  
ne diductus ita demum Mediolano excessit, vt cum multa præfatione  
inanum verborum, æquissimam sibi videri Othonis causam dicta  
ret, sed eius controuersiæ iudicium in aliud tempus esse differendum,  
quod nequaquam è republica Christiana fore videretur, si Turriana  
rum rerum statum, reducto potenti æmulo perturbaret, quando ii po  
tentia virtuteque animi magnis regibus æquarentur, queis fœdere &  
amicitia essent coniuncti. Colerentque singulari officio ac pietate pon  
tificiæ maiestatis nomen, idque armis impigre defenderent, aduersus  
Gibellinos, quorum inter principes, Otho præcipius esse censeretur.  
Res enim tum in Italia aduentu Caroli regis eò deductæ erant, detesta  
bili populorum omnium insanía, vt cunctæ ciuitates diris factionibus  
laborarent. Guelfi à pontificibus stabant quorum defensores erant  
Gallli, Germanis alteri studebant, qui Gibellini vocabantur. Hi ma  
gna ex parte nobiliores familias ad se pertraxerant, populares vero fa  
miliae & plebs, nouiq. homines Romanorum pontificum iura tueban  
tur